



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

14. Suentiboldus Lotharingiae Rex monachis S. Dionysij in Francia, prope Parisios, an. 896. restituit Salonam Abbatiolam, in Saliensi pago sitam; petente Raginero I. Hannoniae Comite.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

Raubertus Notarius, ad vicem Auskerici Cancellarij, recognouit.

894.

Datum anno incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo quarto; anno quoque, regnante Carolo, secundo, Indictione duodécima, VI. Kalendas Octobris. Actum Attiniaco.

NOTATIO.

ATTINIACVM) palatium: de quo vide Cod. cap. 15.

CAPVT XIV.

Suentiboldus Lotharingia Rex monachis S. Dionysij in Francia, prope Parisios, an. 896. restituit Salonam Abbatiam, in Saliensi pago sitam, petente Raginero I. Hannoniæ Comite.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. ZVENTEBVLCHVS diuina procurante clementia Rex.

Condecet ergò nos, qui regia potestate sublimamur, maximè Dei timorem cunctis mortalibus anteponeere negotijs, & loca, quæ antecessores nostri ad honorem Dei construxerunt, præ ceteris secularibus rebus amare, atque conseruare; quia, vt credimus, ex hoc & Dominus nobis magis placatus existit, ob cuius amorem hoc facimus, & honorem Sanctorum eius, quorum meritò veneramur obsequia.

Quapropter ad notitiã perueniat vniuersis Dei ecclesiarum credulis, qualiter Congregatio beati martyris Dionysij sociorumque eius, ad nostram sublimitatis clementiam mittens quemdam suorum fratrum reclamare, propter res quas antecessores nostri aut alij religiosi homines, ob sui salutem, suprafatis martyribus, ad luminaria, & ad fratrum vtilitatem, & ad pauperum curam, ipsiusque loci honestatem, dederunt, quæ in nostro regno sitæ sunt.

Quorum reclamationem nos obaudientes, ob interuentum fidelium nostrorum Odoacri & Raginarij, reddidimus eis quamdam Abbatiam, sitam in Saliensi pago, Salonam nomine, ad supradictos vsus, cum omnibus eius appendicijs.

Ex qua Abbatia, nos rogauerunt, duas villas specialiter concedere,

cedere, ad luminaria & pauperum curam, Sulciam videlicet & Bar-
nuuillam, cum omnibus appendicijs earum.

Quòd nos contentientes, pro nostræ animæ salute antecessorum-
que nostrorum, fieri decreuimus, nec non & decimarū illius Abba-
tiolæ omnem dominicatum concessimus, velut in omni Abbatia san-
cti Dionysij agitur, ipsis petentibus, ad vsus pauperum & matricu-
lariorum S. Priuato quotidie seruientium, & oblationes quotidie
offerentium, pro communi vtilitate concessimus.

Et nullus vniquam dominator adueniat, qui hoc infringere au-
deat: quòd si aliquis proteruiter hanc eleemosynam infringere in-
incipiat, protinus in iram Dei Sanctorumque eius incurrat, ad quo-
rum loca hanc concessionem fieri decreuimus.

Et vt breuiter concludam, anathematis vinculis ligatus, nisi re-
spisceret, hic & in æuum permaneat: præsens tamen editio firma
stabilisque permaneat.

Quod vt credibilis sit cunctis in Dei nomine credentibus, manu
propria firmauimus, annuli que nostri impressione iussimus insi-
gniri.

Signum Domini ZVENTEBVLCHI gloriosissimi Regis.

Waldgerus Notarius, ad vicem Ratpoti Archiepiscopi, sum-
mi que Cancellarij, recognouit.

Data XI. Kalendas Februarij, anno incarnationis Domini 896.
octicentesimo nonagesimo sexto, Indictione decima quarta, an-
no verò regni domini Zuentebulchi primo. Actum in Suuetchusa,
in Dei nomine feliciter, amen.

NOTATIO.

B. DIONYSII) congregatio, in diocesi Parisiensi, est monacho-
rum Benedictinorum: de qua vide supra cap. 1.

CAPVT XV.

Suendeboldus Lotharingie Rex dat cathedrali Canonorum

S. Lamberti collegio Leodicensi villam Teux, an. 898.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. ZVENTEBOLDVS diui-
na fauente clementia Rex.

L 1

Pro